



12

1779, 18.

DE
EMPTIONIS VENDITIONIS
CONDITIONATAE IVRE
CONDITIONE NON IMPLETA.

ILLVSTRIS ICTORVM ORDINIS GRATIA
PRAESIDE

D. CHRISTIANO HENR. BREVNING
PROFESS. PVBL. ORDIN. IVR. NAT. ET GENT.
ET SOCIET. LITER. DVISBURG.

P. 216

S O C I O

IN AVDITORIO IVRIDICO

DIE XXVIII SEPTEMB. MDCCCLXXIX.

DISPVTABIT

CAROLVS CHRISTOPHORVS TIEZE

LOEBAV. LVSAT

L I P S I A E

LITTERIS LANGENHEMIS HAERET. ET KLAVBERTHIIS.



DE
EMPTIONIS VINDITIONIS
CONDITIONATAE IVRE
CONDITIONE NON IMPLETA


ILLUSTRISSIMO AC
REVERENDISSIMO PATRI
MAGISTRO

D. CHRISTIANO HENR. BILTING
REGENTIS UNIVERSITATIS
MAGISTRI SOCIETATIS
SACRO

IN AUDITIONE IURIDICA
DE RE

DISSENTIANT
CAROLUS CHRISTOPHORUS TIEBE

DISSENTIANT
LETTERIS IMPRIMENDIS MENSE FEBRUARII





DE
EMTIONIS VENDITIONIS
CONDICIONATAE IVRE CONDICIONE
NON IMPLETA.

§. I.

Non est, vt multum dicamus de contractu illo consensuali, emtione videlicet ac venditione, quippe vix quisquam erit, etiam literarum imperitissimus, qui hunc non noscat contractum. Quo enim contractu magis curatur conseruatio, sanitas, interdum adeo securitas, et vno verbo, quo magis subleuatur humana indigentia, quam emtione atque venditione. Eleganter et rectissime primam huius contractus et inueniendi et introducendi causam noster PAVLVS exhibuit in *L. I. pr. π. de contrah. emt.* Ait: *Sed quia*

A 2

non

non semper, nec facile concurrebat, ut, cum tu haberes, quod ego desiderarem, inuicem haberem, quod tu accipere velles: electa materia est, cuius publica ac perpetua aestimatio difficultatibus permutationum, aequalitate quantitatis subueniret: eaque materia forma publica percussa, usum dominiumque non tam ex substantia praebet, quam ex quantitate, nec ultra merx est: Sed alterum, pretium vocatur. Equidem taxari posset ICTus noster quod illam materiam forma publica percussam dicat. Nam pondere prius pecuniae emensus fuisse videtur valor, et post forma publica percussam; sed non videtur mereri castigationem *Paulus*, qui de pleno perfectoque huius contractus usu scribit, sicuti nec monendus, quod in variis terris exoticis res pecuniam conficiant, certam aestimationem habeant, ut iis emtiones perficiantur, utpote *fabarum* certo genere, vel etiam *conchyliorum*, quod probant, qui itinera exotica descripserunt. Haec enim magis barbarorum ignorantiam et egestatem ostendunt, quam ut ex ea contingencia definitio esset iudicanda.

§. II.

Dicamus ergo tantum de vnica quaestione, missis omnibus, quae de essentialibus atque requisitis in emtione venditione dicenda, quae ex quouis adeo Institutionum compendio capi facile possent. Sit vero ea disputatio de *Emtione venditionis conditionatae iure conditione non impleta*. Admodum videtur illa disputatio paradoxa, si regulam applicamus, quam vulgo praescribunt; *deficiente conditione, deficit quoque negotium*. Quid ergo dicamus de iure contractus illius bilateralis, cui conditio adiecta, quae dein non adimpleta deficit. De negotii enim, quod nullum est, iure, nihil dici potest, diceretur enim de non entis iure, quod ridiculum. Tamen putem aliquid de ea causa dici, quod de iure agat, vt dein videbimus.

§. III.

§. III.

Pergimus ad materiam conditionum, quippe de conditionata emtione venditione thema nostrum agit. Sed nec de conditione multa dicamus, quippe et haec doctrina trita ac peruulgata est. Et cum conditio euentum futurum atque dubium denotet a cuius existentia valor pendet negotii, facile patet, condiciones secundum hanc definitionem male diuidi in *possibiles* et *impossibiles*, eamque distinctionem potius a verbis desumptam, quibus propositio concepta. Si particula conditionata concepta propositio, condicionem dixere, quod in ea continebatur, siue posset adimpleri, siue non, si modo in futurum directum erat. Hinc in iure varie constitutum de impossibili conditione si vltimae voluntatis liberalitati adposita, quo casu ob heredis vel legatarii deficientem consensum pro non adiecta habebatur, quae tamen si conuentioni adiecta, ipsam conuentionem vitiabat, vt est apud VENULEIVM in *L. 137. §. 6. π. ds Verb. Oblig.* qui scribit: *vbi omnino conditio iure impleri non potest, vel id facere ei non liceat: nullius momenti fore stipulationem, proinde ac si ea conditio, quae NATVRA IMPOSSIBILIS est, inserta esset.*

§. IV.

At si talis conuentioni apposita conditio, quae adimpleri potest, certissimi iuris est, conditione demum adimpleta conuentionem obligare, eaque pendente, obligationem pendere, hac vnica tamen differentia ab vltimis voluntatibus, quod in his vel viuo herede aut legatario, cui conditio adscripta, vel ab illis ipsis, pro vt est conditio, adimpleri debet, quae contra in conuentionibus non tantum a pacifcente, verum eo mortuo ab illius heredibus adhuc adimplenda, vel etiam post mortem contrahentium sub conditione adhuc existere potest

est, quippe obligationes non contrahentes solum obligant, sed et in heredes transeunt. At sicut condicionum possibilitium multa potest esse varietas, quippe *quarundam* condicionum existentia a casu, seu externa aliqua causa pendet, *quarundam* vero a voluntate vnus contrahentium, *quarundam* demum collata in tertii arbitrium. De singulis videamus, quid iuris, si ea non impleatur condicio.

§. V.

Vendit Sempronius fundum Caio sub condicione: *Si naus in portum appulerit*. Et recte scribit VLPIANVS in *L. 7. pr. π. de Contrah. emtion. Conditionales autem venditiones tunc perficiuntur, cum impleta fuerit condicio*. i. e. obligatio demum existit, simulac conditio existit. Quare ex contrario, *Si naus in portum non appulerit*, fundus Caio venditus non erit. At quid? Si fingamus deficere condicionem, nullamque esse emtionem venditionem, si venditor nihilominus remissa condicione fundum venditum esse Caio velit: quaerendum: an Caius teneatur seruare emtionem, et puto, Caium ad emtionem adimplendam cogi non posse, quippe nulla aderat ob deficientem condicionem emtio, hinc nec venditor remissa condicione obligare poterat emtorem, nisi vel emtor consentiat, et noua sit fundi venditio, vel condicio adiecta sit expresse in fauorem venditoris, et omnino venditor condicioni adiectae renunciare possit, in quam renunciationem, consensit tacite emtor, cum pateretur condicionem in fauorem venditoris adiici.

§. VI.

Ait VLPIANVS in *L. 17. π. de Verb. Oblig. Stipulatio non valet in rei promittendi arbitrium collata condicione*. Exhibet eam condicionem, in arbitrium rei promittendi collatam ipsemet

met VLPIANVS in *L. 7. princ. π. de contrah. emt.* verbis: vel stipulanti sic spondeat: Si VOLVERO DECEM DABO addit rationem: neque enim debet in arbitrium rei conferri, an sit obstrictus. Et omnino rectissima est ratio. Vbi enim obligatio conventionem contrehenda, necesse, vt in altero existat ius perfectum: posita enim obligatione ponendum quoque ius perfectum, quod nunquam existere poterit, si ab alterius contrahentis arbitrio pendet, an velit esse obligatus. Valere hanc quoque regulam etiam in emtione, testatur ipse VLPIANVS *c. l. in verbis: venditio nulla est, quemadmodum si quis ita vendiderit: SI VOLVERIT.* Concludo itaque, nullam esse vel emtionem, vel venditionem, si condicio in solum arbitrium vel emtoris vel venditoris collata, quippe semper ius perfectum in altero condicionem adimpleturo deficit.

§. VII.

At demum potest et condicio simul in factum tertii coniunctum cum emtoris arbitrio conferri, et quaerendum, ac si deficiat condicio, nulla sit emtio. Tractat causam hanc VLPIANVS in *L. 56. π. de contr. emtion.* prouocans ad *Antistium Labeonem*, quem ex parte tantum sequitur. Ait: *Labeo scribit: Si mihi bibliothecam ita vendideris, si decuriones Campani locum mihi vendidissent, in quo eam ponerem; et per me stet, quo minus id a Campanis impetrem: non est dubitandum, quin praescriptis verbis agi possit. Ego etiam ex vendito agi posse, puto: quasi impleta condicione: cum per EMTOREM STET, quominus impleatur.* Sed quid Labeo velit actione praescriptis verbis videri potest argumento parum conueniens sententia. VLPIANVS autem in *L. 20. §. 1. π. de praescr. Verb.* rem clariorem reddit. Scribit ICTUS: *Puto autem, siquidem perfecta fuit emtio, competere ex VENDITO actionem: Si vero nondum perfecta esset, actionem talem, qualem aduersus*

uersus defultorem dari i. e. praescriptis verbis. Quis DESVLTOR teste Hotmanno docuit MANILIVS hoc carmine:

*Nec non alterno defultor fidere dorso
 Quadrupedum et stabiles poterit defigere plantas
 Per quos vadit eques: ludet per terga volantum.*

Non ergo mirum, ex bilaterali illa conuentione emtionis venditionis, cui condicio simul in arbitrium emtoris collata adiecta, si emtor nolit adimplere, cum per eum stet, vt adimpleatur, praescriptis verbis actionem venditori dari, ad eam adimplendam, quo perficiatur contractus, qui ante perfectus non erat condicione non adimpleta. Sed rectius iudicat quoque *Vlpianus*, qui, cum ab emtore pendet condicionis adimpletio, venditi actioni locum esse ex fictione condicionis adimpletae affirmat. Et ita est species, quae ius producit, quamuis conditio adimpleta non fit.



Leipzig, Diss., 1779 A17

ULB Halle

004 583 736

3



86.







1779, 18.

DE
EMPTIONIS VENDITIONIS
CONDITIONATAE IVRE
CONDITIONE NON IMPLETA.

ILLVSTRIS ICTORVM ORDINIS GRATIA
PRAESIDE

D. CHRISTIANO HENR. BREVNING

PROFESS. PVBL. ORDIN. IVR. NAT. ET GENT.
ET SOCIET. LITER. DVISBYRG.

SOCIO

IN AVDITORIO IVRIDICO

DIE XXVIII. SEPTEMB. MDCCCLXXIX.

DISPVTABIT

CAROLVS CHRISTOPHORVS TIEZE

LOEBAV. LVSAT

LIP S I A E

LITTERIS LANGENHEMIIS HAERET. ET KLAVERBETHIIS.

